



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis Tollenarii Brvgensis e Soc. Iesv Specvlvm
Vanitatis Sive Ecclesiastes Solvta Ligataq. Oratione
Dilvcidatvs**

Tollenaer, Jean de

Antverpiæ, 1635

Metrica Paraphrasis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68633)

METRICA PARAPHRASIS.

SI votis superos fortè poposceris,
 Tendens innocuas sideribus manus,
 Quidquid seu ratio iubet,
 Seu lex imperiosior;
 Exclusâ remorâ, polliciti memor,
 Dictis adde fidem. Vir cupiet viro
 Fixum lege adamantinâ,
 Quod mens prouida sanxerit:
 Tu ne deterûs solue fidem Deo.
 Fallaces superum destituit fauor,
 Illis sed facilis venit,
 Queis votis sua stat fides.
 Mendaces nebulas, & pluuias minas,
 Quæ nullo recreant umbre noualia,
 Dum turgent vacuo sinu
 Odit vulgus agrestium.
 Sic qui vota crepans, sacrificis nihil,
 Præter verba, focus perfidus immolat,
 Hunc vox irrita Numinis
 Læsi constituet reum:
 Non quòd vota Deum munera diuitent,
 Aut cædes recreet multa bidentium:
 Non ille esuriens fibris
 Sacra pascitur hostia,
 Aut undante sitim sanguine diluit.
 Sed cur arbitrio mobilis ingenl
 Teste de Samiis luti
 Debet ludibrium Deus?
 Non hic centuplici commodat hostie
 Pronas auriculas, aut opibus Midæ:

Plus

*Plus vel mica salis potest,
Et puræ scelerum manus.
Si non in pretio est pinguior hostia,
Sed iurata fides præstita Numini;
Aut voti satagas reus,
Aut prorsus voueas nihil.*

PROSA EXEGESIS.

ANTIQUISSIMA votorum est religio, ad quam non vnius aut alterius gentis ritibus instituti sumus, sed ab ipsâ naturâ imbuti. Hanc Dei populo diuina oracula, gentibus excultis ratio, necessitas barbaris, ipsi denique pueris natura præscripsit. Iam olim à paternâ domo profugus Iacob, cum Luzam appulisset, votum vouit Domino, si fospitatore eum itineris sui habuisset, omnium bonorum se decimas oblaturum. Et altiori spiritu incitatus Iephte, se Deo facturum vouit in holocaustum, quicumque primus ab Ammonitis reduci ac victori ex ædibus suis obuius esset futurus. Quid Græcæ superstitionis antiquitatem veræ semper religionis æmulam commemorem? Nónne

*Vota Ioui Minos taurorum sanguine centum
Solvit? ——— Nónne*

*Dædalus (ex voto) fugiens Minoia regna,
Præpetibus pennis ausus se credere celo,
Redditus his primùm terris tibi Phæbe sacrauit
Remigium alarum, posuitque immania templa?*

Ita & aries Phryxus Marti dicatus est apud Colchos, & regia Midæ sella Apollini Delphico, & navis eidem à Theseo annuè ex voto persoluta. Neque Romani cuiquam hac votorum religione, quam à primo suo parente hauserant, cesserunt. Nam & Romulus sisten-

I i 3

dæ

Votorum
antiquitas.Genes. 28,
20.Iudic. 11,
31.Ovidius
8. Metam.Virgilius
6. Aencid.

Liuus li. 1.